



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologia non est dicenda affectiua solum exclusa omnino ratione
practici, & speculatiui. cap. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Theologia non est dicenda affectiva
solum, exclusa omnino ratio-
ne practici, & specu-
lativi.

CAPVT VIII.

I.

Variae sunt discrepantesque sententiae Theologorum de natura Theologiae in ratione practica, vel speculativa scientiae: omnes tamen ad quatuor capita reduci possunt: & singula suos habent assertores. Quidam dicunt non esse practicam, aut speculativam, sed affectivam: alij esse simpliciter practicam: alij speculativam; alij practicam & speculativam simul: qui etiam quod ad modum explicandi in duas sententias distrahuntur. Ego claritatis gratia singulas seorsim expendam eo ordine, quo propositae sunt, ut tandem veram sententiam statuam. Quidam relati à Durando q. 6. prologi num. 14. Theologiam dicunt esse affectivam: quorum duplex sensus esse potest, alter ut non negetur esse practica, vel speculativa, sed affectiva appelletur propter excellentiam ipsius, quia dirigit ad effectum, & amorem Dei: alter ut neget esse practicam, & speculativam, & quidem, ut rectè notant Durand. quaest. citata num. 18. 19. & 22. Scot. q. 5. prologi. §. *Quarta via*, & Bassolis, quaest. 8. art. 1. in fine: Hac opinio in priori sensu nihil absurdum continet, & solo nomine, non refertur ab alijs, quae quovis modo Theologiam practicam, vel speculativam dicunt. Nam, quemadmodum scientia moralis dicitur à moribus, quibus dirigèdis inseruit: nec idcirco negatur practica: ita Theologia appellabitur affectiva ab affectu animi erga Deum, cui excitando, atque inflammando idonea est: nec proinde excludetur à ratione scientiae practicae, vel speculativae, iuxta modum propriae cognitionis. Aegydius tamen 4. p. prologi q. unica, & Argentinas, q. 4. prologi, art. 3. & Toletanus, quaest. 10. art. 2. conclusionem 1. 2. & 4. & art. 4. ad argumenta contra easdem Conclusiones posteriore sensu loquuntur, Theologiam ita affectivam nominantes, ut tamen negent esse practicam, aut speculativam: existimant enim has differentias non dividere scientiam adaequatè. Quorum sententiam probabilem iudicat Richardus in 4. d. 49. art. 1. q. 8. ad finem corporis. Ea verò erit hoc capite examinanda, ut fiat aditus ad alias.

II.

Præcipuum fundamentum horum Docto-

rum est, quoniam, ut in superioribus statui ex Philosopho, & communi sententia Doctorum; scientiae distinguuntur, ac denominantur à fine: Theologia verò finis est amor Dei: ergo ex hoc distingui, & nominari debet. Assumptionem latè confirmant Argentinas q. citata art. 2. & Toletanus q. 9. art. 2. conclusionem 3. auctoritate, & ratione: auctoritas sumitur ex sacris literis, ac Patribus, primò ex illo Apostoli 1. ad Timoth. 1. *finis præcepti charitas*: sed quoniam responderi potest, non dici hoc loco charitatem finem univærse scientiae reuelatæ, sed solum præcepti, clarius colligitur ex illo Christi Domini, Matth. 22. *in his duobus mandatis*, dilectionis scilicet Dei, & proximi, *univærse lex pendet, & propheta*: qui univærse dicit, nihil excipit, & ex illo Apostoli ad Rom. 13. *plenitudo legis est dilectio*, ita ut quidquid in univærse scriptura sacra traditur, ad amorem dirigatur, ut tradit D. Augustinus in Enchir. cap. ultimo: *Omnia*, inquit, *præcepta divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus, finis præcepti charitas*: & infra, *charitas quippe ista Dei, & proximi est*: & itaq, in his duobus præceptis tota lex pendet, & propheta: adde Euangelium, adde Apostolos. Idem docet lib. 1. de doctrina Christiana cap. 41. & lib. 2. cap. 7. & lib. 10. de Civitate Dei, cap. 4. & Gregor. homil. 10. in Ezech. Ad hoc s. Gregorius, inquit, *Deus per sacram Scripturam nobis loquitur, ut nos ad suum, & proximi amorem trahat*. Aegydius etiam probat ex Augustino in tractatu de laude charitatis ubi ita dicit, *Si ergo non vacat omnes sacras paginas perscrutari, omnia volumina sermonum evolvere, omnia Scripturarum secreta aperire, & penetrare, tene charitatem ubi pendet omnia, ita tenebis, quod ibi didicisti, tenebis etiam quod non didicisti: in eo, quod in Scripturis intelligis, charitas patet; in eo quod non intelligis, charitas latet: ille itaq, tenet, quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus*.

Ratione verò probant primò, quidquid in sacra Theologia consideratur vel est utendum, vel fruendum: id verò vel est obiectum amoris, vel dilectionis: quare tota Theologia ad amorem refertur. Secundo ad hunc finem reuelatæ sunt nobis veritates supernaturales, quæ in sacris literis, & Theologia continentur, ut Deo perfectissimo coniunctionis genere copulemur, perfectissima verò coniunctio est per voluntatem: non enim est status in apprehensione intellectus, nisi sit quies in voluntatis affectu: & quidquid in patria sit, saltem in via perfectius, atque arctius

coniun-

Durand.

Bassol.

Aegydius.
Argentinas.
Toletanus.

Richard.

coniungimur Deo per amorem, quam per cognitionem. Tertiò is est finis Theologia proprius, ac praeipuus, cui ceteri subordinantur, & quo perse, atque immediate ordinamur ad beatitudinem, vt sumitur ex D. Augustino lib. 14. de Trinitate cap. 6. vbi ea solum vult ad Theologiam pertinere, quibus fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur: huiusmodi autem finis est amor, sine quo nihil conducit ad beatitudinem, siue speculatio, siue operatio sit: vt colligitur ex Paulo, 1. ad Corinth. 13. de speculatione quidem: *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum; de operatione vero, Si distribuero omnes facultates meas, si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: Quamuis autem diuersis Theologiae partibus fines alij intenduntur, modò speculatio, modò operatio, omnes tandem ad amorem referuntur. Denique nobilissima scientiae nobilissimus finis esse debet: Theologia est nobilissima scientia, amor nobilissimus finis, quo nullù donum Dei est excellentius: ergò amor est Theologiae finis.*

IV. Sed quoniam responderi poterat, esto charitas sit Theologiae finis, quia tamen est extrinsecus, adhuc fieri posset ab illo quidam dicatur Theologia affectiua: & nihilominus possit esse practica, vel speculatiua, adhibet Argentinas secundum fundamentum, quo probat ad neutrum genus pertinere. Habitus cuius proprius finis reduci nequit ad speculationem vel praxim, nec est speculatiuus nec practicus, sed necessario continetur sub tertio aliquo genere. Theologia est huiusmodi: ergò ita est affectiua, vt nullo modo sit practica aut speculatiua. Maior propositio est euidentis: practicum enim ac speculatiuum dicitur à proprio fine. Assumptio ostenditur, quoniam dilectio, quae finis est Theologiae, non est speculatio, vt per se patet: nò est item praxis, quia multipliciter ostendit. Primò quoniam praxis debet esse operabilis à nobis: qualis nò est dilectio diuina, & eligiende non est natura sufficiens. Deinde quia praxis debet esse talis, vt ei directio cadat sub facultatem humani intellectus: dilectio verò non est huiusmodi, quando quidem requirit directiuium supernaturale, iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Denique omnis praxis vel est electio, vel sequitur ad electionem: vt enim ait Comment. 1. & 6. Ethic. praxis

est operatio secundum electionem, amor Dei neutrum horum conuenit, ergò nò est praxis. Probat autem assumptio, quoniam electio est circa media: amor Dei circa finem, electio est conclusio consilij, quod est de contingentibus, & ijs quae sunt ad finem: amor Dei est de ultimo fine: & prior consilio, quod semper supponit intentionem finis. Probat autem Toletan. qu. 9. ar. 2. conclus. 2. primò, quia nulla operatio, quae est simpliciter perfectio quacunque speculatione, est propriè praxis, quia quacunque notitia practica aliqua speculatio est perfectior, & quacunque praxi aliqua speculatio ex proœmio Metaphysicae, sed dilectio Dei meritoria, est simpliciter perfectior quacunque speculatione saltè pro statu viae: ergò secundò, quia omnis actus virtuosus, qui habet rationem praxis, est in potestate voluntatis, quantum ad illud, per quod formaliter est virtuosus, sed dilectio Dei meritoria, vt talis nò est in potestate voluntatis, quia est meritoria ex sola acceptatione Dei, quae non est in potestate nostra.

Hæc sententia, quatenus remouet à Theologia rationem scientiae practicae & speculatiuae, est contra communem sententiam Theologorum, quos deinceps suis locis referam pro opposita: quam tres praeipuae scholae, Thomistica, Scotica, & Nominalis vnico consensu recipiunt. Quamuis enim dissentiant inter se, vtum sit practica vel speculatiua, omnes tamen consentiunt non esse vtriusque rationis expertem. Priorem illam specialiter impugnant Durand. q. ci. tata num. 15. 16. & 17. Scotus vbi proximè cum interpretibus Aureol. q. 3. art. 1. ad finem. Heruæus q. 4. Bassolis vbi supra, Ioannes Bachonus q. 4. ar. 3. Aquilan. q. 4. ar. 4. à sufficiente diuisione scientiae in practica & speculatiua, primò ex parte actui, quoniam scientia omnis attingit suum obiectum per actum, qui vel sit sola veritatis cognitio, vel vltèrius ad operationem dirigitur: si priori modo, est speculatiua: si posteriore est practica: nec datur medium, cum membra diuisionis còtradictoriè opponantur; deinde ex parte obiecti, quoniam scientia aut habet obiectum agibile, vel attingibile à nobis, & ipsum sub hac ratione considerat, & est practica: vel nò habet, & est speculatiua: ergò si Theologia inter scientias numeranda est, vel est practica vel speculatiua. Quod etiam ex proprijs terminis ostenditur: nam si Theologia sumere debet denominationem à fine formaliter, is aut erit sola cognitio veritatis circa charitatem, & animi affectum erga Deum, aut cognitio modi ac regulae, secundum

V.

Durand.
Scotus.
Aureol.
Heruæus.
Bassol.
Bachonus.
Aquilan.

cundum quam haberi à nobis debet: priore modo est speculatiua: posteriore verò practica, & ita cum inter hæc non sit medium, alterum ipsorum Theologiæ necessariò conuenire debet. Quibus argumentis æquè efficaciter impugnatur opinio aliorum apud Aureol. q. 4. prologi, ar. 1. in 2. opinione dicentium, Theologiam esse contemplatiuam, quia eius finis est contemplatio, quæ dicit actum intellectus cum complacentia voluntatis, nec sub speculatione, aut sub praxi secundum illorum sententiam comprehenditur, quod falsum esse constat ex rationibus allatis.

VI.

Argentinas.

Quas, & similes alias dissoluit Argentinas illo art. 3. negando diuisionem illam esse adæquatam, & assignando tertium membrum, vt in secundo eius fundamento apparet, est autem scientia, quæ nec sola veritatis cognitione contenta est, nec dirigit operationem siue praxim, sed solum habet pro fine amorem summi boni, qui non est praxis. Verum hæc solutio est in primis contra Aristotelem, qui prædictam bimembrem diuisionem tãquam adæquatam tradidit, 2. Metaphysic. 3. & lib. 6. t. 1. & lib. 11. sum. 3. cap. 1. & lib. 3. de anima. t. 49. & 6. Ethic. cap. 1. & lib. 1. magnor. moral. cap. 32. quem Theologi communiter sequuntur. Deinde amor Dei à viatore elicitus habet omnes conditiones praxis superius traditas: est enim actio contingens apta fieri conformiter ad regulam rationis dirigentis: ergò Theologia, quæ huic amoris regulas præscribit, erit ex ea parte practica. Alia verò ex parte non omnis cognitio Theologica, quæ cognitio est, dirigitur ex se ipsa ad amorem: sed magna ex parte sola veritatis diuinæ contemplatione contenta est: quamuis occasionaliter, & ex fine scientiæ ad amorem Dei referri possint, denominatione autem & specificatio sumitur ex eo, quod conuenit scientiæ per se, & non ex occasione: ergò Theologia potius vendicabit sibi rationem, nomenve practicæ vel speculatiuæ, quàm affectiuæ: Respondet Argent. vt ipse in quodam argumento perstringit, tametsi particulares conclusiones à fine proximo possint esse practicæ vel speculatiuæ, ipsam tamen Theologiam totalem dici affectiuam ab ultimo fine, cui particulares fines subordinantur. Quæ solutio destruit Autoris sententiam: nam si particulares conclusiones, ex quarum aggregatione totalis scientia coalescit, practicæ sunt vel speculatiuæ, profectò scientia ipsa participat rationem practici vel speculatiui, fieri enim nequit, vt habitus expers rationis practicæ & speculatiuæ in-

clinat ad actus practicos vel speculatiuos. Præterea naturales scientiæ, vt etiam ipse Argentinas admittit, necessariò continentur sub altero ex his membris, & nulla excluditur ab utroque, igitur neq; Theologia excludi debet. Nam similiter dicere quod posset scientiæ naturales, maximè Metaphysicæ, & moralis philosophiæ, vltimò dirigi ad amorem, à quo proinde affectiuæ, non speculatiuæ aut practicæ dici deberet. Cui argumento satisfacere conatur Argentinas ar. 3. ad primum, assignando disparem rationem, quoniam amor naturalis, de quo locuti sunt Philosophi, est amor creaturæ, qui non est tantæ dignitatis & excellentiæ, vt ab habitu scientiæ humanæ finaliter intendatur, at amor Dei propter eximiam dignitatem suam finaliter intendatur, ideoque ab ipso potest scientia denominari. Verum hæc solutio non tollit difficultatem: nam ita se habent scientiæ de Deo, & moribus naturali lumine acquisitæ ad amorem Dei naturalem, sicut scientia supernaturalis ad dilectionem supernaturalem: sed illæ nō sumunt ab amore Dei specificationem aut denominationem, nec desinunt esse practicæ, vel speculatiuæ iuxta proprium atque intrinsecum finem: ergò neque Theologia erit expers rationis practicæ & speculatiuæ. Denique finis non dat speciem aut denominationem scientiæ, nisi sub ratione formali pertinente ad intellectum. Deus autem vt amabilis non pertinet ad rationem intellectus, sed voluntatis: quare nō sumitur ex hac ratione propria differentia actuum, siue habituum intellectus: & consequenter scientia Theologiæ ex hoc capite non distinguitur per se ab alijs scientijs.

Fundamenta Argentinatis facillè diruuntur, primum quidem supposita distinctione finis in proximum & remotum, qui est finis scientis: etenim cum Aristoteles ait scientiam practicam fine distingui, loquitur de proximo ac proprio, non verò de remoto, & eo, qui est finis scientis. In forma itaque respondendum est negando primam propositionem fundamenti, si intelligatur de fine remoto, & fine scientis; concedendo autem si intelligatur de proximo ac proprio fine scientiæ. Assumptio verò neganda, si intelligatur eodem modo: etenim quamuis dilectio Dei, quatenus mensuratur notitia aliqua particulari Theologica, quæ proximè, ac propriè circa ipsam versatur, sit proprius & immediatus finis particularium conclusionum, tamen quatenus consideratur, vt scopus totius Theologiæ non est proprius ac immediatus finis

ipius:

VII.

ipſius plurimæ enim cõcluſiones ſunt, quæ non habent amorem pro obiecto, ſed vel Deum ipſum, vel creaturas, vel actiones alias ſtudioſas; quia tamen Deus hæc omnia eo præcipue fine reuelauit, vt à nobis amaretur, poteſt amor dici ſinis extrinſecus, ac remotus vniuerſæ Theologiæ, à quo tamẽ ſpecificari non debet: nam etiam hanc eandem ob cauſam hominibus indidit lumen naturale, quo acquirerent notionem primorum principiorum, & ſcientiarum tam practicarum, quàm ſpeculatiuarum, vt ſcientia ipſa manuducerentur ad cultum & amorem Dei; nec tamen hæc ratio ſinis variat naturam ſcientiarum, quæ ſumitur ex fine proprio atque immediato. Porro probationes oēs, quibus aſſumptio cõfirmatur ſolum probant amorẽ eſſe finem remotũ, atque extrinſecum Theologiæ, vt rectẽ notat Canus lib. 12. de locis Theologiæ, cap. 2. Et prima quidem facilẽ diluitur dicendo, quamuis quidquid in Theologia conſideratur, ſit fruendum vel vtendum, non proinde oportere, vt conſideretur ſub his rationibus, ſed poſſe ſub alijs conſiderari, vt de facto conſideratur, & idẽ ex hoc nõ ſequi amorem eſſe proximum, & intrinſecum finem adæquatum Theologiæ. Secunda ſolum probat vnionem hominis cum Deo in via per amorem eſſe vltimum, atq; extrinſecum finem Theologiæ: idẽ quẽ tantum concluditur tertia & quarta cõfirmatione. Nam quando dicitur nobiliſſimã ſciẽtiã habere nobiliſſimum finem, intelligi debet comparatẽ ad alias ſcientias, non verò abſolutẽ: at Theologia habet nobiliſſimum finem inter omnes ſcientias acquiſitas, nempe qua practica exercitium virtutum Theologicarum ac moralium inſuſarum, qui inter fines practicarum ſciẽtiarum eſt præſantiſſimus: qua ſpeculatiua cognitionem veritatum ſpectatiũ ad diuinitatem ſub lumine naturali, qui inter fines ſcientiarum acquiſitarum ſpeculatiuarum eſt excellentiſſimus. Et ita non debet ſecundum omnes ſui partes habere pro fine proprio & intrinſeco amorẽ, qui inter fines in via cõparabiles eſt perfectiſſimus.

Secundi argumenti aſſumptio neganda. Ad cuius cõfirmationem dicendum, amorem viæ eſſe praxim, vt probaui cap. 1. Ad huius primam impugnatiõẽ reſpondetur amorẽ Dei ſupernaturalem, quamuis nõ ſit operabilis, ſive producibilis à nobis quali ex nobis, verẽ tamẽ germinari à voluntate noſtra ſupernaturaliter eleuata, eodemq; modo dirigetiã à nobiſſimis per iudiciũ practicum elicitum ab intellectu illuſtrato lumine diuino: quamuis enim in actionib.

ſupernaturalibus Deus ſit principalis cauſa agens ac dirigens, nos tamen ſumus minus principales: non enim mouet ac dirigit nos vt res inſenſatas per formas ad vnũ determinatas, nec vt ratioẽs expertes per inſtinctum & apprehenſionem determinati obiecti, ſed per illuſtrationem mētis, qua intellectus noſter vſus operationes ſuas ſupernaturales dirigat, & per motionem voluntatis, qua illa vt poſſit, ſi velit. Vltimæ confirmationis neganda eſt maior propoſitio, vt conſtat ex dictis cap. 1. vbi omnem omnino actionem ſuapte natura regulabilem ab intellectu praxim eſſe dixi: & expliaui commẽtatore de praxi in ſtrieta acceptione ſumpta, quæ minus latẽ patet, quàm praxis, quæ eſt obiectum notiæ practicae. Ex his etiam patet ſolutio ad rationes Tolletani. Ad primam quidẽ reſpondetur dari ſpeculationem aliquam perfectiorem charitate, hoc eſt viſionẽ beatam: quod ſat eſt vt verificet axioma Ariſtot. maxime quia charitas viæ ac patriæ ſunt eiſdem rationis: & idẽ ex eo, quod charitas ſit praxis, non eſt opus vt aliqua contemplatio viẽ ſit perfectior illa. Ad ſecundam reſpondetur opus meritorium non eſſe in poteſtate noſtra, quoad ſuum principium, hoc eſt quoad gratiam & acceptionem Dei, tamen poſita lege ordinaria, & concurſu gratiæ præuenientis ſuppoſita habituali, in noſtra libertate eſt gratiæ conſentire, & cooperari, & idẽ operationes etiam meritoria ſunt praxes menſurabiles per dictamina ſupernaturalia.

Theologia non eſt purẽ practica, ſed dici poteſt ſpeculatiua ſimpliciter.

CAPVT IX.

Theologiam eſſe ſolum practica, poteſt intelligi dupliciter, primò, ita vt ſit omnino practica, nullam prorsus cognitionem ſpeculatiuam includẽs, quomodo dici poteſt purẽ practica. Secundo ita, vt licet admittat notiã aliquas ſpeculatiuas, ex tamen ſatis non ſint ad tribuendam illi denominationẽ ſcientiæ practicae, quẽ admodum medicina, & ſcientiæ morales vtuntur multis principijs ſpeculatiuis, nec tamen propterea dicuntur ſimpliciter ſpeculatiuæ. Quare duo hic videnda ſunt, alterum vtrum Theologia habeat verẽ rationem aliquam ſcientiæ ſpeculatiuæ: alterũ, ſi habeat, vtrum ſimpliciter ſpeculatiua dici poſſit: ſimpliciter autẽ ſpeculatiua, multipliciter intelligi poteſt, primò ita, vt excludat omnem rationem practicae: ſecundo

I.